Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Wolfgangus Lebsorg in Monachus, Sacerdos, et per annos plusquam triginta Archivarius Monasterii Stamsensis, in eximiis suis Chronicis, quæ hoc titulo inscripsit:

Chronica Monasterii S. Johannis Baptistæ in Stambs, quantum ex eiusdem libris, litteris et aliis monumentis colligi poterant. Dilectæ Posteritati pro breui Informatione conscripta et Dedicata. Omnimque eruditorum correctioni exposita.

Hæc igitur sua Chronica a anno 1250 usque ad annum 1600, quo scripsit, producta, sic orditur: Cum Illustrissimus D. Friderius 2dus Rom. Imperator Vtriusque Siciliæ et Hierosolimæ Rex, Dux Sueuiæ etc. Manfredo filio suo Enrio ex nobili quadam Sicula nato, Regna Siciliæ suo nomine gubernanda tradidisset: is cum probe perspectum haberet, Germanorum regimen Italis exosum esse, Regna gubernanda vt propria posset possidere, rem crudeli parricidio est aggressus. Suffocato namque primo parente proprio, 13 Decembri, cum post biennium eius filius legitimus Conradus et ipse Romanorum Imperator electus, paterna regna vtriusque Siciliæ adiisset, eidem venenum propinari iussit, quod cum hausisset, mortemque præsentiret, Conradum (qui postea ab Italis et Galli propter ipsius iuuentutem et per despectum diminutiue dictus est Conradinus, quasi germanice Conratl sive Cuenzel) filium vnicum, puerum tunc triennem, quem ex D. Elisabetha D. Alonis Ducis Bauariæ filia susceperat, paternarum Regionum et Prouinciarum hæredem instituit, atque primariorum quorundam Bauariæ tunc sibi præsentium tutelæ commendauit. Manfredus vero interim puerili imbecillitatem perpendens, audacior factus, totum Siciliæ Regnum vi et dolo occupauit.

33) Anonymus de rebus Conradi et Manfredi apud Raynaldum ad an. 1254, §46, ubi: Cumque inter alia, quæ dictus Rex Conradus de filio et regno suo in ultima voluntate disposuit, filium suum manibus et gratiæ Sedis Apostolicæ submittendum esse mandasset, Papa Innocentius IV. qui sedi tunc Apostolicæ præerat, ex Regis dispositione quandam sumens occasionem, asserens regnum Siciliæ ad Ecclesiam Rom. spectare, regnum ipsum vendicare intendebat. ~~Cumque etc.~~ Idem Raynaldus ibidem recitat bullam, qua Innocentius Conrado Conradi filio sua jura confirmat. Universis Christi fidelibus. Benigna mater Ecclesia, circa devotos et humiles filios solicite vigilans, eorum profectibus et saluti pietatis oculo instanter prospicit et attente. --- Quia igitur

32) Conradinus ipse in epistola apud Raynaldum Ann. 42: Cum autem magnificus Rex, Conradus, diuæ memoriæ, Charissimus Pater noster, testamento solenniter condito, nos tenellum, tempore mortis suæ, in manibus sanctæ matris Ecclesiæ, de tutela reliquisset. Idem fatetur in literis ad Principes Germaniæ.